UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tractatvs De Censvris Romano Pontifici Reservatis

Ugolinus, Bartholomaeus

Venetijs, 1609

Vers. Mutilantes, Vulnerantes, Percutientes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-61365

Visual Library

Quid itidem ſi per alium id faciant? Ego cenſeo in hoc caſu ſic diſtinguendum eſſe. Aut Pater, exempli gratia, inuenit cum filia hunc talem turpiter, & in hoc caſu, ſi conueniat cum filio, qui eſt frater eius mulieris, vel cum eius marito, ſi maritum habet, id poſſe, nam quiſque horum per ſe id facere poteſt, vt ſupra diximus, ergo & ſimul, cum diuerſa ratio cõtrarium non ſuadeat, ſed eadem ſit, & ob id eadem quoque diſpoſitio eſſe debeat. argumen. cit. cap. cum dilecta. de confirmat. vtil. vel inutil. Aut conuenit cum alio extraneo, quibus facultas hæc permiſſa non eſt, & in hoc caſu id nõ poſſe cenſeo, nam ob eam rationẽ id permiſit lex patri, & prædictis, quoniam exiſtimauit ſæpius ob amorem, quem erga ſuos habent, ab huiuſmodi iniuria ſe temperaturos, quæ ratio in aliis ceſſat, ergo & diſpoſitio ceſſare debet. argum. capitul. cum ceſſante. de appell. repugnat tamen ibi l. 2. cum ibi not. ff. de iuriſd. omn. iud. videas ergo additiones ad cit. c. 3. de ſentent. excommunic. Ex his iam patet, quando clericum ſimplicem, Eccl. que perſonã percutiens in excommunicationem non incidat. Ad reliqua ueniamus.

Verſ. Mutilantes, Vulnerantes, Percutientes.

S V M M A.

1 *Mutilantes, Vulnerantes, Percutientes Cardinalem in excommunicationẽ incidunt.*

Hic tres cauſæ exprimuntur, quamobrem Cardinalem offendentes in excommunicationẽ hanc incidunt, ſcilicet ubi aut eos mutilant, aut vulnerant, aut percutiunt. Et quoniam quid ſit mutilare, declarauimus in Cap. 9. in verſic. Mutilant, & quid ſit Vulnerare, vel percutere per ſe conſtat, & diximus ſupra Capi. 10. in verſicu. Vulnerantes, ob eam rem regulam breuem tantum ponamus.

In excommunicationem hanc
1 igitur incidunt etiam, † qui Cardinalem aut mutilant, aut vulnerant, aut percutiunt, ut habetur in uerſicul. propoſito. quæ regula eiſdem modis, quibus ſuperior, pro rei qualitate amplificatur, & coarctatur. Quare nihil eſt, quod præterea huc addamus.

Verſ. Capientes, Carcerantes, Detinentes.

S V M M A.

1 *Carcerare quid ſit.*

2 *Car-*